



Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. VIII. Reliqua ad formas spectantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

VI §. VIII.

Reliqua ad formas spectantia.

Quæritur inter Peripateticos 1. an plures formæ substantiales absolutæ & principales informare possint eandem materiam? Resp. communiter, istud fieri non posse naturaliter, quia nulla apparet in natura plurium formarum exigentia; neque in ferro ignito, & aliis hujusmodi duplex est forma in eadem parte materiæ, sed ignis est in ferri poris, ferè sicut vinum rubrum aquæ permixtum: posse tamen fieri supernaturaliter; quia nulla apparet repugnantia; materia enim completa in aliquo genere, potest absolute adhuc compleri in alio: ita si hirco superaddatur forma cervi, erit simul hircus & cervus inadæquatè distinctus, non tamen erit hirco-cervus chymæricus, quia non est talis per identitatem, sed per duas formas distinctas. Sic in Theologicis Humanitas fuit per unionem hypostaticam à Verbo ulterius completa, unde Christus est Homo-Deus.

Quær. 2. An materia prima possit spoliari omni formâ substantiali? Resp. non posse naturaliter, quia nullam hujus separationis experientiam habemus in tota natura; posse tamen supernaturaliter; quia nulla in hoc apparet repugnantia: imò suadetur positivè; quia si accidentia, quæ dependent à substantia in genere causæ materialis, finalis & efficientis, possunt divinitus existere separata in mysterio Evcharistiæ, poterit etiam materia separari absolute à forma, cum minor sit inter utramque dependentia.

Quæritur 3. quid pereunte aut recedente anima post mortem viventis remaneat? Resp. ea manere, quæ prius erant, organis omnino, vel ex parte destructis, aut perturbata humorum temperie: sic occiso animali remanent ossa, caro, pellis, sanguis, & similia, quæ prius jam existebant in vivente, sive deinceps ista constituentur in sua specie per formas elementares combinatas, sive per alias, quas vocant formas partiales, animæ seu formæ principali subordinatas, quod intelligi potest ex §. 6. Hæc porro corporis partes, uti mirabili prorsus ac multiplici modo in vivente attemperantur, ita post mortem, nisi temperies per morbum omnino mutata sit, remanent cum suis proprietatibus, uti patet in herbis eradicatis, animalibus occisis, quorum ossa, carnes, cornua &c. suas retinent proprietates ac virtutes. Hinc pluribus meritò displicet forma cadaverica, quæ in locum animæ statim succedere dicitur; nec enim apparet, qua ratione, cur & à quo nova hæc forma illico produci possit, aut debeat singulis momentis, in locis & casibus diversissimis, in quibus vivens aliquod moritur; & est etiam contra communem persuasionem, quòd statim, atque animal aliquod glande trajicitur, illico acquirat novam pellem, nova cornua, novamque substantiam.

Certè, si ita est, cibi, vestes, medicinæ, & quæcunque à vivente prove-
niunt, scatent formis cadavericis, quod, per me licet, amplectatur ille, qui hujusmodi formis delectatur.

